

Historiae Deorum Gentilium Syntagma tertium, de Iunone, Hymenaeo, et Talassio: ad D. Paulum Pasethum C.

Lilius Gregorius Gyraldus Paulo Pasetho C. S. P. D.

Cum superiore Syntagmate de Ioue, eiusque imaginibus nonnullis permulta collegerim, illudque fratri tuo Prospero, Viro clarissimo, ob illius erga me merita benevolentiamque singularem dicauerim: nunc cum de Iunone Iouis sorore sim acturus, quantum ingenii mei mediocris facultas tulerit, tibi hoc, Paule Pasethe, qualecunque sit munus, dare constitui, ut omnibus testatam facerem mutuam nostram inter nos, nec uulgarem benevolentiam, qua uinculo etiam bonarum disciplinarum iungimur, et sacrarum in primis literarum: in quibus tu ita inuigilas, et tales progressus facis, ut paucos in hac tua iuuenili aetate senes et prouectos, pares in eis interpretandis habere uidearis: nimirum, ut qui ex ipsis fontibus haurias, hoc est, ex Hebraeis literis, quas multo studio et sudore es assecutus, nullos praetermittens labores, nullis etiam sumptibus parcens. Sed isthaec missa nunc faciam, tuo pudori ac modestiae consulens, cum et longe re ipsa praestes. Atque adeo Iunonem ipsam aggrediar. Ne te tamen haec ipsa ludicra et leuia a seriis studiis tuis auocent, nisi tantisper, dum aliquando animum recreare ac remittere libuerit. Vale: uotisque tuis aspiret, qui hodie corda discipulorum suo nomine afflauit.

IVNO.

Iuno Graece Ἥρα uocatur: Iouis, ut inquit Varro, coniunx. Et is Coelum, haec Terra, quae eadem Tellus: et ea dicta, quod una cum Ioue iuuat. At Cicero in secundo de Natura deorum ait: Aer, ut Stoici disputant, interiectus inter coelum et mare, Iunonis nomine consecratus. Quin et Graeci Ἥραν ipsum aera interpretantur, unde et Iunonis templum Ἥραϊον uocatur. Et Macrobius, Iunonem aeriam dictam [p.158] scribit, quod ipsa aer putaretur: uel quod in eo regnaret, ut ait Martianus. Iuno Iouis ideo coniunx, ut Placiades interpretatur, quod aer igne feruescat. nam Theopompus in Cyprico carmine, et Hellanicus in Διὸς φιλολογία, quam descripsit, ait Iunonem ab Ioue uinctam catenis aureis, et degrauatam incudibus ferreis: illud nihilominus dicere uolentes, quod aer igne coelesti coniunctior, duobus deorsum

elementis misceatur: id est, aquae et terrae, quae elementa duobus superioribus grauiora sunt. Idem interpretatur et Phurnutus. id uero ex Homero sumptum, cuius hi sunt uersus ex XV. Iliados rhapsodia, utcunque a me expressi: An memor es, cum de sublimi pendula, iunxi Incudes geminas pedibus, manibusque catenas Ex auro solido, tibi sic per nubila coeli Suspensae potuere dei haud succurrere quicquam,

et reliqua, ut ad propositum redeam. Finxerunt praeterea ipsius Iunonis idolon, ut aeream forcem praeferebat, sumpta tralatione ac metaphora ab incidente capillos forcice: et purum corpus ostendens. Memini etiam me uidere aureum pulcherrimum Neruae imperatoris nomisma, in cuius tergo matrona erat, cum radiata corona, in throno sedens, laeua sceptrum, dextra forcem praeferebat. ego Iunonem iudicabam. literae tamen quae in eo legebantur, hae fuerunt: FORTUNAE P. R. Tu uideris, quare id factum. Dicta uero Ἥρα, ut in Cratylo Plato scribit, quasi ἐρατή, id est amabilis, propter amorem quo ab Ioue afficitur. Forte etiam ad sublimia spectans, qui hoc nomen primum instituit, ἄερα Ἥραν nuncupauit, et obscure locutus est, ponens in fine principium: quod tibi quidem patebit, si nomen illud frequenter pronuntiaueris. ita enim apud Platonem Socrates est locutus. Sed ut facile tibi Platonis scrupus eximatur, ἄηρ si primam literam in fine posueris, Ἥρα fiet. hinc Arnobius in III., docte scribit: Nam si Iuno aer est, quemadmodum uos ludere ac dictitare consuestis, Graeci nominis posteritate repetita, nulla soror et coniunx Iouis reperietur. Alii porro Ἥραν dictam scripsere quasi ἱεράν, id est sacram, quod sacris praesit nuptiis. Iunonem Apuleius in X. ita effinxit: Mulierem honesta forma, habentem in capite candidum diadema, et sceptrum manu gestantem. Coronabatur interdum lilio: Iunonis enim flos lilius. Et rosa Iunonia uocabatur: id quod a fabula infantis Herculis, ab Iunone ablactati deductum, in nostro Hercule scripsimus. Ad haec et pyleones sarta legimus apud Spartanos, quibus Iuno coronabatur. Calceos in pedes Iunonis aureos, cum Hesiodo caeteri poetae inducunt. Pulchre etiam Iuno Argis efficta legitur, uite enim, ut Callimachus ait, ornata. qua de re ita in libro de Corona Tertullianus: Argis, inquit, Iunonis signum palmitis redimitum [p.159], subiecto pedibus eius corio leonino, insultantem ostentans nouercam de

exuuiis utriusque priuigni, Bacchi scilicet et Herculis. Sed iam praestat huius deae cognomina interpretari. Et quoniam in primis Iuno, ut dixi, nuptiis praeesse putabatur, quae illi ea de re cognomina attributa sunt, afferemus: et ea primum, quae quapiam imprecatione in nuptiis Mercurii Martianus commemorat. Iuno pulchra, inquit, licet aliud tibi nomen consortium coeleste tribuerit, et nos a iuuando Iunonem, unde et Iouem dicimus, nominemus: siue te Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam conuenit nuncupari. nam Fluoniam, Februalemque, ac Februam, mihi poscere non necesse est, cum nihil contagionis corporeae sexu intemerata pertulerim: Iterducam, et Domiducam, Vnxiam, Cinxiam, mortales puellae debent in nuptias conuocare, ut et earum itinera protegas, et in optatas domos ducas: quae cum postes ungent, faustum omen affigas: et cingulum ponentes in thalamis non relinquo: Socigenam te, quas uel in partus discrimine, uel in bello protexeris, precabuntur: Populoniam plebes, Curitim debent memorare bellantes. Hic te Aeriam potius, ab aeris regno nuncupatam uoco. Haec quidem Martianus. haec etiam de Iunone Arnobius cognomina: Nulla, inquit, soror et coniunx omnipotentis reperietur Iouis, nulla Fluuionia, nulla Pomona, nulla Ossipagina, nulla Februalis, Populonia, Cinxia, Caprotina, et caetera. Hesychius porro Iunonem a Babylois uocari tradit ἄδᾶ, a Tyriis uero ἰτέα, ab aliis quibusdam βηλέθης, licet hoc nomine alii Venerem interpretentur.

Lucina igitur Iuno dicebatur, quanquam et Diana, ut dicemus, quod lucem nascentibus dare crederetur: unde etiam Lucetia. Varro de Lingua Latina cum de Proserpina ageret, quae et ipsa Iuno inferna dicta est: Ideo uero uidetur, inquit, a latinis Iuno Lucina dici, uel quod est e terra, ut physici dicunt, et lucet: uel quod ab luce eius qua quis conceptus, usque ad eam qua partus quis in lucem una uiuat, donec mensibus actis produxit in lucem: facta a iuuando et luce Iuno Lucina, a quo parentes eam inuocant. Lucina enim nascentium dux, quod menses huius hoc uidisse antiquas apparet, quod mulieres potissimum supercilia sua attribuerunt ei deae. Hic enim maxime debuit collocari Iuno Lucina, ubi a deis lux datur oculis. Haec Varro. Festus quoque: Supercilia, inquit, in Iunonis tutela esse putabant, quod iis protegantur oculi, per quos

luce fruimur, quam tribuere putabant Iunonem, unde et Lucina dicta est. Plinius tamen in XVI. Naturalis historiae dictam ait a luco, ubi eius aedes condita fuit, ubi lotos fuit mirae uetustatis. Ouidius in Fastis utranque opinionem his carminibus attigit:

Gratia Lucinae dedit haec tibi nomina lucus,
[p.160]

Vel quia principium tu dea lucis habes.
Lucina Iuno fingeatur, si antiquis nomismatibus credendum, hoc modo, ut est in Faustinae Aug. Pii. Aug. Fil. In cuius tergo matronae stolatae imago stans cernitur, quae dextera pateram, sinistra hastam tenet, his literis ascriptis, IVNONI LVCINAE. Opigena Iuno, teste Sexto Pompeio quod in partu opem ferat, etiam appellata fuit. Natalis etiam Iuno uidetur a Tibullo dici, quod natali die coleretur. Ita enim canit:

Natalis Iuno sanctos cape thuris aceros,

Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Idem quoque poeta Genium Natalem cognominauit, dum ad eum ita cecinit:

At tu Natalis quoniam deus omnia sentis.

Ita uero dixisse uidetur, ut Graeci γενέθλιον, quo nomine non Iouem modo, sed et Lucinam et Genium cognominant.

Egeria quoque a mulieribus colebatur, quod eam partui egerendo opitulari credebant: auctor Festus. id quod alio loco etiam retulimus.

Iuga Iuno appellata, uel quod Iuges, ut ait Pompeius, sunt eiusdem iugi pares, unde et coniuges. uel ut scribit Seruius in quarto Aeneidos super ea Didonis uerba, Ne cui me uinclo uellem sociare iugali: Iugali, inquit, propter iugo quod imponebatur matrimonio coniungendis, unde etiam Iuno Iugalis dicitur. Iugae Iunonis ara fuit Romae in uico, qui ideo Iugarius dictus erat, ut Festus ait. scribunt alii, quod ad hanc aram ueteri ritu nubentes uinculis iungebantur, in omen futurae concordiae. Existimauerim Iunonem hanc Iugam, illam esse quam Graeci ζυγίαν appellant, cuius in VI. suae Metamorphoseos meminit Apuleius, in Psyche appreciatione ad Iunonem. ita enim ait: Quam cunctus oriens Zygiam ueneratur. quo loco interpretes, uir doctissimus, ariolatur quidem nescio quo pacto cognomen hoc Iunonis esse, sed nihil praeterea. nos id apud Dionysium Alicarnasense ubi artem scribit nuptialis orationis, deprehendimus. cuius uerba, non ut

amicus meus interpretatus est, elegantissime quidem, sed parum ad propositum nostrum. Sic ergo Alicarnasseus, Enimuero Iupiter et Iuno primi coniungentes dei sunt, et copulantes: atque hic quidem Pater omnium uocatur, haec uero Zygia, quod foeminam mari coniungeret. hoc est, ἀπὸ τοῦ ζευγνῶναι τὸ θῆλυ τῷ ἄρρένι. Haec quidem Alicarnasseus. Nam recte quidem amicus meus Iugam transtulit, uerum in re praesenti non congruebat. Interpres quoque Pindari in Nemeis ubi fit mentio de τέλεια Iunone, ita scribit: Iuno enim ipsa est γαμηλία, καὶ ζυγία. atque hac de re satis.

Γαμηλία Ἥρα, hoc est Nuptialis Iuno, in nuptiis colebatur. Plutarchus in praeceptis connubialibus ait, Iunoni Gameliae rem sacram facientes, cum reliquis sacris fel non consecrant, sed eximentes post aram proiciunt. id scilicet significante legislatore, neque quid bilis, [p.161] neque iracundiae in nuptiis esse oportere. meminit et Eusebius in tertio Praeparationis euangelicae. Scribit Phauorinus, Cecropem (qui Diphyes ideo dictus est, id est, naturae duplicis, quod Athenis primus nuptias instituit) Gameliam etiam Iunonem statuuisse, et Gameliona mensem: quod et Charax scribit. Gameliae quoque Iunonis, ut paulo ante meminimus, graecus Pindari interpres mentionem facit. Gamelium praeterea Iouem inter Iouis cognomina retulimus.

Nec tibi illud hoc loco praeteribo, γαμηλίου θεοῦς, καὶ γενεθλίου θεοῦς, hoc est Nuptiales et Natales deos coluisse ueteres, quod uel in primis ostendit Dionysius Alicarnasseus ubi de nuptiali oratione praecepta perscribit.

τέλεια Ἥρα, hoc est perfecta Iuno, uel ut Poggius uertit apud Diodorum, Perfectrix, uel potius Nuptialis: nam Iulius Pollux in tertio ait, et matrimonium uocari τέλειος, et τέλειοι qui matrimonium ineunt. quin et ipsa coniunctionis actio ἡρατέλεια, ab Iunone praeside nuptiarum, quam in primis uirgines ante nuptias sacrificiis placabant. Pindarus in Nemeis in hymno ad Thiaeam Vliae filium Argium, de Hebe Herculis uxore loquens, τέλειαν, id est Iunonem Hebes matrem uocat. ubi Graecus enarrator inter caetera et hoc ponit: τέλειος δὲ ὁ γάμος, διὰ τὸ τελειότητα βίου κατασκευάζειν. hoc est, τέλειος autem nuptiae, propterea quod perfectionem uitae praeparant. Citat et hoc Aeschyli, ἡρα τέλεια

ζηνὸς εὐναία δάμαρ. id est: Iuno Teleia Iouis uxor cubiculi. Narratur in Commentariis Theocriti haec fabula, desumpta ex cuiusdam Aristotelis libro, qui scriptus fuit de templo Hermiones. Iupiter cum insidiaretur Iunoni, ut cum ea iaceret, eam conspexit procul a caeteris deis (adeo parum tutae solae uagantur uirgines) mutatus in coccyga, id est in cuculum, in monte consedit, qui prius Thronax dicebatur, postea ex re Coccyx dictus est. quin et κόκκυξ, id est cuculus Iupiter, ipse et cultus et nuncupatus fuit Argis. Cuculus ergo Iupiter tempestatem simul commouit: ubi cum sola in monte Iuno esset, ea parte quo postea constructa est Teliae Iunonis aedes, cuculus Iupiter ob tempestatis horrorem in uirginis Iunonis gremium deuolauit: quem Iuno miserata ueste contexit. tum uero Iupiter suam indutus formam, Iunonem est amplexatus. illa matris metu abnuebat, donec pollicitus connubium obtinuit. post uero ab Argiuis Iuno maxime culta, in cuius templo ibidem constructo simulachrum hac specie positum fuit. Ipsa Iuno in solio sedens, manu sceptrum tenebat, in cuius summitate cuculus fuit. haec ferme in commentariis. Homerus in Iliade huius concubitus meminit: quare a Socrate apud Platonem culpatur. nam statim humi cum dea Iupiter concubuit. ac ne in cubiculum quidem ingredi sustinuit, in terram est collapsus, [p.162] ea locutus quae mortales amore capti solent. Super quem Homeri locum in eius defensionem aduersus Socratem Proclus et Procli magister Syrianus, ut putatur, multa scripsere, quae ego missa facio. Sane et de Telia Iunone alias fabulam legimus. Temenum ferunt Pelasgi filium in Arcadia apud Stymphalum habitasse, quo in loco Iunonem educauit, atque triplex inde dea et sacrum cognomen adepta est. Nam παρθένος, id est uirgo primum uocata est; dein cum Ioui nupta fuisset, τέλεια, id est adulta et perfecta. cumque demum cum Ioue dissideret, χῆρα, id est uidua appellata est. Stephanus quidem, apud Hermionem Iunonis παρθένου celebre fuisse templum affirmat. Pausanias apud Plataeenses templum fuisse scribit cum magnitudine, tum statuarum ornatu insigne. ingredientibus siquidem Rhea in saxo cernebatur, enixa Iunonem fasciis inuoluere, quam ex Saturno concepisset. Iunonis uero statuam τέλειαν uocabant, recta magnitudine. et conspicua erat statua ex lapide pentelesio. inibi inerant etiam Praxitelis opera. Alterum

porro erat simulachrum Iunonis sedentis, quod Callimachum fecisse aiunt: ea νυμφευομένη Ἥρα dicebatur, id est, Iuno nubens: cuius historiam plenius in Ioue Cithaerone retuli: unde, si libet, repete. Et in Cithaeronia Iunone nonnulla dicenda. Sane et sororiam Iunonem nuncupatam lego, ut apud Festum in Sororio tigillo, ubi de eius ara agit, et Iani Curiatii. Interduca, et Domiduca Iuno uocabatur a Romanis, quod ad sponsi aedes sponsa comitabatur, uel earum iter protegeret. meminit Martianus, ut ostendimus. D. etiam Augustinus libro septimo de Ciuitate Dei. Haec tamen est, inquit, Interduca pueris et opus facit cum deabus ignobilissimis, Abeona et Adeona. tum etiam paulo post subiungit: Ponitur autem Iuno, quia interduca est, et domiduca, quasi prosit quicquam iter capere et domum duci.

Vnxia Iuno cognominata, teste Martiano, ea uero causa uidetur, quod uetus Romanorum mos fuit, ut nouae nuptiae mariti domum intrantes, axungia postes ungerent. ea enim religione tenebantur, ut axungia putarent pleraque mala arceri. Seruius grammaticus libro quarto Aeneidos morem fuisse ait, ut nubentes puellae simul cum uenissent ad mariti limen, postes antequam ingrederentur, ornarent laneis uittis et oleo ungerent. et inde sunt uxores dictae. Sed Plinius et Massurius non oleo aut axungia, sed lupino adipe postes inungere moris fuisse prodiderunt: ne scilicet malum aliquod medicamentum inferretur.

Cinxia Iuno, ut idem scribit Martianus, quod cingulum puellae ponentes in thalamis, a Iunone protegantur. At Festus: Cinxiae, inquit, Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod [p.163] initio coniugii solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta. Vnctionibus, inquit Arnobius in tertio, superest Vnxia, cingulorum Cinxia replicationi. Porro de cinguli seu zonae solutione in Lysizona Diana copiosius agemus.

Socigena item Iuno, ut idem tradit Martianus, cognominata, quod nubentes associet ac copulet.

Populona, seu Populonea Iuno etiam cognominata, quam populus seu plebs precabatur, ut innuit Martianus. In Papyriano etiam iure relatam est: Arae uicem praestare posse mensam dicatam, ut in templo Iunonis Populoneae augusta mensa est. meminit et Macrobius in tertio Saturnaliorum. Quidam Populoniam uocant, quod ex nuptiis populi

procreentur. Populoniam praeterea et Fulgurae mentio est apud Augustinum libro sexto de Ciuitate Dei, ex Seneca, quod alibi etiam retulimus.

Magna Iuno, id est μεγάλη Ἥρα cognominata, ut obseruat Macrobius libro Saturnaliorum tertio, ex Cassio Hemina: Samothracas deos ait eosdem esse Romanorum penates, et proprie dici θεοὺς μεγάλους et θεοὺς χρηστοὺς et θεοὺς δυνατοὺς. Secundum quam doctrinam ait Vergilium locutum, cum cecinit: Iunoni magnae primum prece numen adora. τὴν μεγάλην nominasse uidetur Ouidius in Fastis: Monte sub exquilio multis incaeduis annis Iunonis magnae nomine lucus erat.

Sane et Maxima Iuno dicta est. Vergilius in octauo: Tibi enim maxima Iuno, Maclat sacra ferens. quo loco Seruius uarias eius potestates fuisse ait, ut Curetis, Lucina, Matrona, Regina, dicatur. Et dicunt theologi ipsam esse Matrem deum, quae terra dicitur, unde ei etiam porca sacrificatur. Porro et Bona uocata fuit Iuno. Vergilius, Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Iuno. τὴν χρηστὴν uocasse uidetur, et τὴν δυνατὴν, cum ait, Dominamque potentem, ut Macrobius etiam obseruat.

Regina Iuno a Latinis cognominata, quod soror et coniunx Iouis, deorum atque hominum regis: quae, ut Camillus dictator in oratione scripsit, quam ad Populum Romanum habuit, transucta a Veis fuit in Auentinum, et celebri die summo matronarum studio dedicata. Scribit etiam P. Victor templum Iunonis Reginae a Camillo D. D. Veis captis in Auentino, hoc est, in XIII. regione urbis. Hanc historiam his uerbis Liuius in V. ab Vrbe Condita narrat: Cum iam humanae opes egestae a Veis essent, amoliri tum deum dona ipsosque deos, sed colentium magis, quam rapientium modo, cepere. nanque delecti ex omni exercitu iuuenes, pure lautis corporibus, candida ueste, quibus deportanda Romam regina Iuno assignata erat, uenerabundi templum iniere, primo religiose admouentes manus, quod id signum more uetusto, nisi certae gentis sacerdos attrectare non esset solitus: [p.164] deinde cum quidam seu spiritu diuino tactus, seu iuuenili ioco, uisne Romam ire Iuno? dixisset, annuisse: caeteri, Romam conclamarunt. inde fabulae adiectum est, uocem quoque dicentis, Velle, auditam. motum certe sede sua, parui molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus, leuem ac facilem translato fuisse, integramque in

Auentinum, aeternam sedem suam, quo uota Romani dictatoris uocauerant, perlatam, ubi templum ei postea idem qui uouerat Camillus, dedicauit. Frequens uero Reginae Iunonis apud scriptores mentio. uide et Plutarchum in uita Camilli, qui rem copiose describit. Libet hoc loco eiusdem Liuii uerbis referre sacrum illi Deae peractum: Ab aede, inquit, Apollinis boues foeminae duae albae porta Carmentali in urbem ductae: post eas duo signa cupressea Iunonis reginae portabantur: tum septem et uiginti uirgines longam indutae uestem, carmen in Iunonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et inconditum, si referatur. Virginum ordinem sequebantur Decemuiri, coronati laurea, praetextatique: a porta iugario uico in forum uenere, in foro pompa constitit, per manus ueste data uirgines sonum uocis pulsu pedum modulantes incesserunt. inde uico Thusco, Velabroque, per boarium forum in uicum publicum atque aedem Iunonis Reginae perrectum: ibi duae hostiae a Decemuiris immolatae, et simulachra cupressea in aedem illata. adhuc Liuius. Templum etiam Reginae Iunonis habuisse Capitolium, testis est idem ipse Liuius, quod a Cn. Flamini bello aduersus Ligures uouerat. meminit et M. Cicero ad Equites Romanos in oratione antequam in exilium iret. Decet etiam non sileri, ut Plinii uerbis agam, Et Ardeae templi Iunonis Reginae pictorem, praesertim ciuitate donatum, ibique carmine, quod est in ipsa pictura, his uersibus:

Dignis digna loco picturis condecorauit
Reginae Iunonis supremae coniugis templum,
Marcus Ludius Elotas Aetolia oriundus,
Quem nunc et post, semper ob artem hanc
Ardea laudat.

Quos uersus ego eo libentius ascripsi, quo et ipse agnoscas antiquitatem, quam simplici et incondita uteretur dicendi figura. Addit et Plinius eos uersus scriptos fuisse antiquis literis latinis: quas quae essent, alias ostendi. Reginae Iunonis etiam Vergilius in illo meminit:

Ast ego quae diuum incedo regina, Iouisque
Et soror et coniunx.

quo loco notandum, usum poetam uerbo Incedo, quod ei deae proprie conuenit. Quin et ab hoc prouerbum graecum [p.165] factum est, βαδίσειν ἥραϊον ἐμπεπλεγμένον. hoc est, incedere Iunonium complicatum, scilicet gradum. meminit Athenaeus libro XII.

Horatius in Sermonibus, Vt si Iunonis sacra ferret.

Moneta Iuno, a Romanis cognominata. nam cum non multo ante urbem captam a Gallis terraemotus factus esset, ferunt uocem extitisse e Iunonis templo, quod erat in arce, ut de sua plena fieret procuratio. quocirca ait Cicero, Iunonem illam appellatam Monetam, a moneo uidelicet uerbo denominatam. Monetae Iunonis crebra est scriptoribus mentio. Lucanus:

Numina miscebat castrensia templa Monetae.

Ouidius Monetam a Camillo factam cecinit:

Arce quoque in summa Iunoni templa
Monetae

Ex uoto memorant facta Camille tuo.

Scribit Macrobius Cal. Iunii aedem Iunonis Monetae dicatam fuisse. T. Liuius in VII. ab Vrbe Condita ait, L. Furium creatum dictatorem contra Auruncos, quod bellum ab repentina populatione ereptum erat, inter ipsam dimicationem aedem Iunoni Monetae uouisse, cuius damnatus uoti uictor fuit. Senatus aedem faciendam iussit, locus in arce destinatus, quae area aedium M. Manlii Capitolini fuerat: anno post quam aedes uota erat, Monetae dedicata fuit. Lactantius uero libro secundo Institutionum ait, Iunonis Monetae simulachrum, cum captis Veiis unus ex militibus ad eam transferendam missus, iocabundus ac ludens interrogaret, utrum ne Romam migrare uellet? respondit, uelle. addit Valerius Maximus eam deuectam Romam. Sunt qui in Auentino monte collocatam, sunt qui in Capitolio memorent. Est et ab aliis traditum repositam in tertia urbis regione, ut apud P. Victorem est uidere. Nec desunt, qui, quae de dea Moneta traduntur, in deum Aium Allocutium referant: qui redarguuntur ex iis quae in Aio deo scripsimus, et ante me a Crinito. atque ideo hic parcius. At mihi hoc tibi nequaquam praetereundum duco, T. Liuium libro quinto ab Vrbe Condita referre, non Monetam e Veiis aduectam, sed reginam Iunonem: id quod planius ostendemus. Seruabantur uero in aede Monetae libri lintei, qui dicebantur, in quibus Imperii Romani fata continebantur. Vidi et in quibusdam nomismatibus antiquis ipsam a tergo eorum effictam, cum hac inscriptione, DIVAE MONETAE. Suidas de Monetam aliam recitat historiam, quam ut a Graeco scriptore acceptam refero. ait enim: Cum Romani pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum et

Tarentinos, Iunonem orasse: quae illos monuit, si iustitiae armis uterentur, pecuniam eis non defuturam. quod cum Romanis recte contigisset, Monetam Iunonem ueneratos esse. eius rei signum fuisse, quod nomisma, is est moneta inscripta in eius templo asseruabatur. Sospita Iuno Lanuuii in primis colebatur, magno cultu, ut docet Liuius: cuius simulachrum fingebatur cum pelle caprina, [p.166] et hasta et scutulo, et cum calceolis repandis, ut de Natura Deorum scribit Cicero. Liuius quidem libro VIII. ab Vrbe Condita Lanuuinis, inquit, ciuitas data, sacraque sua reddita cum eo, ut aedes lucusque Sospitae Iunonis communis Lanuuinis municipibus cum populo Romano esset. Idem in IX. Decadis III. In aede, ait, Iunonis Sospitae Lanuuii, cum horrendo fragore strepitum editum. P. uero Victor in X. urbis regione, hoc est in Palatio, aedem Matris deum commemorat, cui fuerit conterminium delubrum Sospitae Iunonis. Meminit et M. Cicero in oratione pro Muraena, cui ait Consules sacrificare solitos. Silius libro XIII.: Lanuuiio generate, inquit, quem Sospita Iuno Dat nobis Milo, Gradiui cape uictor honorem Tempora murali uinctus turrita corona. Sospitae autem Iunonis delubrum dicatum libro II. Fastorum cecinit Ouidius, ut alibi notauit, Cal. Feb. Sispitem Iunonem, inquit Festus, quam uulgo Sospitem appellant, antiqui usurpabant, cum ea uox ex Graeco uideatur sumpta, quod est σῶζω. Illud praeterea par est ut te moneam, cum de Sospita agunt scriptores, pro Lanuuiio, Lauinium plerumque perperam scribi, repugnante syllaba: ut apud Ouidium in Fastis et Silium libro XIII. non multo ante notauit. Offendi etiam modo qui Sospitam Iunonem, pro Sotera Minerua in Aristotelis testamento reposuerit, quod est apud Laertium. Matutam Iunonem etiam cognominatam uidemus. T. Liuius libro quarto de bello Macedonico: Aedes, inquit, eo anno aliquot dedicatae sunt: una Iunonis Matutae in foro olitorio uota, locataque quadriennio ante Cn. Cornelio Cos. Gallico bello, Censor idem dedicauit. Quidam arbitrantur Romae fuisse ad Capitoli radicem, ubi hoc tempore diui Andreae est templum in Mentuza, pro Matuta. Sed haec coniectamus. Certe P. Victor in XI. regione urbis aedem Iunonis Matutae constituit in foro olitorio, ubi et Pietatis aedes. Fuit cum ego uererer, ne mendum esset in T.

Liuius, et fortasse pro Matuta Sospita scribendum, praesertim quod eadem Decade libro II. uotam aedem Iunoni Sospitae ab ipso Cornelio legamus bello Gallico, quo ex uoto uictoriam reportauit.

Nouella Iuno calabatur a pontificibus, id est uocabatur in mensium calendis, ut ex Varrone et aliis ostensum in nostrum de Annis et mensibus, etc. Hinc Calendaris etiam dicta.

Calendaris Iuno uocabatur ab antiquis, quoniam omnes calendas ipsi attributas existimabant: in primisque Lauretes patriis religionibus suis seruabant, qui et hoc cognomen Calendaris Iunonis cerimoniis, ut Macrobius scribit, addiderunt, et omnibus calendis huic deae supplicabant. Sed et Romae quoque pontifex minor in curia Calabra Iunoni rem sacram faciebat, et regis uxor, id est [p.167] sacrorum regina porcam uel agnam in regia Iunoni immolabat.

Februalis Iuno, quae et Februata et Februla seu Februa nuncupabatur, ut ex Sexto Pompeio in libro de Annis et Mensibus, etc., diximus, quod ipsi eo mense sacra fiebant: eiusque feria erant Lupercalia, qua die mulieres februabantur a lupercis amiculo Iunonis, id est, pelle caprina. Martianus praeterea ita ad Iunonem: Februalem ac Februa mihi poscere non est necesse, cum nihil contagionis corporeae sexu intemerata pertulerim.

Caprotina Iuno a Romanis culta. huius dies festus nonae scilicet Iuliae ancillarum erat, quo die liberae pariter et ancillae sacrificabant sub arbore caprifico, in memoriam Benignae Virtutis, quae ancillarum animis pro conseruatione publicae dignitatis apparuit. Nam post urbem captam cum sedatus esset Gallicus motus, res uero publica esset ad tenue deducta, finitimi opportunitatem inuadendi Romani nominis aucupati, praefecerunt sibi Posthumium Liuium Fidenatium dictatorem, qui mandatis ad Senatum missis postulauit, ut si uellent reliquias suae ciuitatis manere, matresfamiliae sibi et uirgines dederentur. cumque patres essent in ancipiti deliberatione suspensi, ancilla nomine Tutela uel Titula seu Philotis (sic enim uarie legimus) pollicita est se cum caeteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram. habituque matrumfamilias et uirginum sumpto hostibus cum prosequentium lachrymis ad fidem doloris ingestae sunt. quae cum a Liuius in castris distributae fuissent, uiros plurimo uino prouocauerunt, diem festum apud se esse

simulantes. quibus soporatis, ex arbore caprifico, quae castris erat proxima, signum Romanis dederunt. qui cum repentina incursione superassent, memor beneficii senatus, omnes ancillas manu iussit emitti, dotemque eis ex publico fecit, et ornatum quo tunc erant usae gestare concessit, diemque ipsum nonas Caprotinas nuncupauit, ab illa caprifico ex qua signum uictoriae ceperunt: et Caprotina culta Iuno, sacrificiumque statuit annua solennitate celebrandum, in quo lac quod ex caprifico manat, propter memoriam facti adhibebatur. historiae meminit Plutarchus. diem Ouidius in arte designat: Porrigite et ancillae, qua poenas luce pependit

Lusa maritali Gallica ueste manus.

Varro de Lingua latina: Nonae, inquit, Caprotinae, quod eo die in Latio Iunoni Caprotinae mulieres sacrificant, et sub caprifico faciunt, et e caprifico adhibent uirgam.

Curis Iuno a Sabinis nuncupata, et deinde a Romanis. nam hastam curin Sabini appellabant. Cato in Originibus (si quae leguntur fragmenta legitima sunt) Quirinalis, inquit, collis a Iunone Sabinorum dea, quam illi Curitim, id est hastatam Iunonem uocant. etenim hastam curim et curinam proferunt, quia his simul et Hetruscis [p.168] non est litera q, sicut Romanis. Idem et Festus scribit. Hinc etiam a priscis institutum legimus, ut nubentium caput hasta comeretur, quam Coelibarem uocabant, quod essent in Iunonis tutela nubentes constitutae. Meminit etiam his uerbis Arnobius, uir antiquitatis doctissimus, libro contra Gentes II. Cum, inquit, in matrimonia conuenitis, toga sternitis lectulos, et maritorum Genios aduocatis, nubentium crinem coelibari hasta mulcetis, puellarum togulas Fortunam defertis ad uirginalem. De coelibari etiam Plutarchus in quaestionibus Romanis, et in Fastis Ouidius. Festus: Coelibari, inquit, hasta caput nubentis comebatur, quae in corpore gladiatoris stetisset abiecti occisique, ut quemadmodum illa coniuncta fuerit cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum uiro sit: uel quia Matronae Iunonis Curetis in tutela sit, quae ita appellabatur a ferenda hasta, quae lingua Sabinorum curis dicitur: uel quod fortes uiros genituras ominetur: uel quod nuptiali iure imperio uiri subiicitur nubens, quia hasta summa armorum et imperii est: quam ob causam uiri fortes ea donantur. Et captiui sub eadem ueniunt, quos

Graeci δορυαλώτους καὶ δορυκτίτους. Sane Graeci κυριτίαν ἤραν uocant. Nam Stephanus: κύρις, ait, metropolis Sabinorum, unde gentili Cyrites, et possessium Cyretius, et Cyretia Iuno. Inepte Seruius in primo Aeneidos scribit Iunonem Curetim dictam, quod curru uteretur et hasta: ut est, inquit, Hic illius arma, Hic currus fuit. Sed iam de Curiti Iunone satis: caetera quae restant de Iunone sequamur.

Zeuxidia Iuno Argis culta. nam cum Argis in Aegyptum Apis rex migrasset, boues illuc transmisit, et seminandi rationem: quam rem cum iunctis bobus rex effecisset, Iunoni Zeuxidiae templum ex re construxit et spicas flores Iunonis uocauit.

Tropaea Iuno a Lycophrone est appellata, quod illi trophaea dicantur, ut notant grammatici: uti etiam Ioui Trophaeo et Tropaeucho, ut iam notatum est in Ioue.

Lacinia Iuno, sic cognominata ab Italiae promontorio. Vergilius: Attollit se diua Lacinia contra. Quo loco Seruius ita scribit: Lacinium templum a rege conditore dictum, secundum quosdam a latrone Lacinio, quem illic Hercules occidit, et hoc loco expiato iuueni templum constituit. Strabo libro VI. Post Iapygium promontoria tria, deinde Lacinium Iunonis templum, superiore aetate locupletissimis donariis frequentissimis refertum, cuius depraedati templi historiam legimus apud T. Liuium, Valerium Maxium, Lactantium, et alios. Liuius libro quarto tertiae Decadis Vrbs, inquit, Croto murum in circuitu patentem XII milia passuum habuit, ante Pyrrhi aduentum in Italiam. Post uastitatem eo bello factam, uix pars dimidia habitabatur. Flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca praeterfluebat [p.169] muros, procul iis qui inhabitabantur. sex milia aberat ab urbe nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniae Iunonis, sanctum omnibus circa populis. lucus ibi frequenti sylua et proceris abietis arboribus septus, laeta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum deae pascebatur pecus sine ullo pastore, separatimque egressi cuiusque generis greges nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude uiolati hominum. magni ergo fructus ex eo pecore capti, columnaque inde aurea solida facta et sacrata fuit: inclitumque templum diuitiis etiam, non tantum sanctitate fuit. Hactenus Liuius. Ex hoc templo Fuluius censor tegulas marmoreas cum sustulisset, quibus aedem Fortunae equestris, quam

Romae fecerat, tegeter, mente captus est, et amissis duobus filiis in bello consumptus est. hoc scribit in primis Lactantius in II. et T. Liuius libro secundo quintae Decadis plenius totam historiam exequitur duobus in locis. Idem T. Liuius III. Decade scribit, ad Hannibalis recessum in Italia, delubrum Iunonis Laciniae uiolatum a caede fuisse. nam Italici generis milites, qui eum sequi in Africam abnuerant, qui in id confugerant, in ipso foede trucidauit. Scribit Plinius in secundo, apud auctores reperiri in Laciniae Iunonis ara sub diuo sita cinerem immobilem esse, praeflantibus undique procellis.

Feronia Iuno a plerisque credita. Seruius enim grammaticus ait: Apud Circeios et Rutulos Iuno uirgo colebatur, quae Feronia dicta fuit. Feroniae uero templum summo cultu fuisse, testis est historia. Scribit T. Liuius, Hannibalem diuitiis et donariis illud spoliasse, intactum ob religionem ad id tempus. Idem quoque auctor ait, cum prodigia procurarent, statutum fuisse, ut libertinae mulieres, unde Feroniae donum daretur, pecuniam pro facultatibus suis conferrent. Dionysius Alicarnasseus in secundo scribit, cum Lacedaemonii quidam ob duras Lycurgi leges Lacedaemone excessissent, ubi multum mari agitati fuissent, quod deis uouerunt, in quamcumque primum terram incidissent, sedes in ea se posituros: cum circa Pomentinos primum constitissent, Feroniam ob aequorea latione locum nominauerunt. fanumque Feroniae deae construxere, cui uota nuncuparunt: quam quidem, inquit, unius nunc literae detractioe Feronam uocant. haec ferme Alicarnasseus, qui libro tertio, cum de bello agit, quod aduersus Sabinos Tullus rex gessit, ita scribit: Post hoc, inquit, bellum aliud Romanis astitit ex Sabinorum gente. Principium autem et causa eius fuit huiusmodi. Fanum est communiter a Sabinis et Latinis honoratum, sanctum maxime inter caetera, eius deae quae Feronia uocatur, quam uertentes in graecam linguam alii quidem ἀνθοφόρον, alii φιλοστέφανον, alii etiam φερσεφώνην uocant: [p.170] et caetera quae subdit. Sed enimuero scribit in VIII. Aeneidos commentario Seruius, Feroniam deam libertorum fuisse, cuius in templo raso capite pileum accipiebant, cuius rei meminit et Plautus in Amphitryone. Hinc clarius tibi constare potest, cur Romani, quod modo dixi, iusserint libertinas pro facultatibus pecuniam

conferre, unde Feroniae deae daretur. Feroniae meminit et Vergilius in VII., Et uiridi gaudens Feronia luco. quo loco idem Seruius, Feroniam ait Iunonem uirginem existimatam, ueluti Iouem Anxurum, id est sine nouacula, et perinde nondum abrasum: qui colerentur Terracinae, quae etiam aliquando Anxur dicta fuit. Strabo uero libro V., de Feronia urbe agens, quae altera uidetur, eam sub montem Soractis collocat, quo (inquit) Feroniae nomine et dea quaedam nuncupatur, quam finitimi miro dignantur honore: quo in loco ipsius templum est, mirificum sacri genus habens. nam qui eius numine afflantur, nudis pedibus prunas et copiosum inambulant sub hac dea nulla laesione cinerem. eo ingens mortalium multitudo confluere solebat ad celebritatem, quae quotannis ibi agebatur. atque haec de Feronia. Extat Iani Pannonii elegia de Feroniae fonte, in qua tamen non uidetur rem satis intellexisse:

Sacri fontis aue mater Feronia, cuius

Felix Paeonius Narnia potat aquas.

non enim apud Narniam, sed Terracinam potius, ut liquido ostensum est. Et Horatius Sermonum libro secundo:

Ora manusque tua lauimus Feronia lympha,
Millia tum pransi tria repsimus, atque subimus
Impositum saxi late candentibus Anxur.

Et Silius libro XIII. Punicorum:

Itur in agros

Diues ubi ante omnes colitur Feronia luco,

Et sacer humectat fluuialia rura Capenas.

Fama est intactas longaeui ab origine Fauni

Creuisse in medium congestis undique donis,

Immensum per tempus opes.

Demum et in regis Desiderii decreto, quod Viterbi habitur, haec uerba leguntur: Et Petram Sanctam Olim Fanum Feroniae. ex quibus omnibus plane uidemus diuersis in locis Italiae huius deae fuisse fana. qua de re noster F. Leander Bononiensis non patriae suae tantum illustrator, ut qui de ea iam alteram Decada perscribat, sed et totius Italiae, cuius exactae descriptioni extremam iam manum imposuit, propediem eam editurus.

Αἰγοφάγος ἦρη, Capriuora Iuno, a solis (ait Pausanias) Lacedaemoniis et cognominata est et culta: cui capras sacrificabant. id quod [p.171] Herculem tradunt constituisse, ipsumque capras primum immolasse, cum aduersus Hippocoonta et eius filios pugnaret: cum aliam nullam in promptu uictimam haberet, et inter caeteros deos Iunonem

propitiam sibi cognouisset. Pausanias in Laconicis.

Samia Iuno nuncupata a Samo, insula notissima: quae Cariae apposita, Parthenia, aliisque nominibus est appellata, teste Stephano. Vergilius:

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam,
Posthabita coluisse Samo.

Scribit Pausanias in Achaicis, Iunonis templum in Samo ab Argonautis conditum. Dicunt autem Samii, Iunonem apud se natam, penes Imbrasmum fluuium: unde et Imbrasia uocata, ut diximus. sub λύγω uero planta edita, id est uitice, quae diu in eius templo permansit. Templum a Smilace coetaneo Daedali factum fuit. Samum scribit Varro prius Partheneam nuncupatam, quod ibi Iuno adoleuerit, ibique etiam Ioui nupserit: itaque nobilissimum et antiquissimum templum eius fuit Sami, et simulachrum in habitu nubentis figuratum, et sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrabantur. Haec ferme ex Varrone Lactantius in primo Diuinarum institutionum. meminit et Diodorus.

Imbrasia Iuno, id est ἥρη ἰμβρασίη, apud Nicandrum in fine Alexipharmacum eadem uidetur esse quae et Samia, ab Imbro insula Sami: sed mea quidem sententia, ab Imbraso fluuio Sami, cuius meminit Strabo libro X., qui antea Parthenius dicebatur. Perperam uero legitur apud Stephanum ἰάμβρασος, cum Imbrasos legendum sit. ἰμβρασος, inquit, Samos a flumine dicta: gentile, Imbrasius et Imbrasia. de Samia porro Iunone iam copiosius actum est.

Argiua Iuno ab Argis denominata, quo loco ἥραία et Iunonis sacra celebrabantur, in quibus Hecatombe, id est ex centum bobus sacrificium fiebat. huius quidem celebritatis praemium fuit aereum scutum, et ex myrto corona: id quod in commentariis in Pindarum legimus. Annotat Strabo libro IX., Homerum hoc uersu Iunonem et Mineruam iunxisse:

ἥρη ἀργείη, καὶ ἀλαλκομενῆς ἀθήνη. id est, Iunoque Argiua et Alalcomeneis Athena.

propterea quod Iuno Argis nata feratur, et Minerua Alalcomenis: et per utriusque patriam coniunxisse. Verum mox, ut est apud Pausaniam, Eurydice Lacedaemonis filia, uxor Acrisii Abantis filii, Iunonis Argiuae templum in colle condidit. a quo non multo longe fuit et sacellum ὑπερχειρίας Iunonis, eodem Pausania auctore. Hesychius sacrificium ab Argiuis Iunoni factum λεχέρνα ait uocari.

Homerus etiam Argiuam Iunonem facit. Quidam putauere Argiuam eandem esse cum Pelasga, apud Propertium libro secundo: [p.172]

An contempta tibi Iunonis templa Pelasgae.

Pelasgos enim aiunt Argos tenuit, unde Argiui Pelasgi. Ego tamen secutus Eustathium, Samiam Iunonem intelligo. nam de ea agens inquit: Samus Pelasgia dicta est, a Pelasgis quibusdam, ex quibus et Iuno Pelasgia culta: quae insula adeo est ferax, ut Lac gallinae, inde prouerbiū factum sit: eodem Eustathio et Strabone auctoribus. Porro et apud Argiuos templum fuisse legimus Iunonis Anthiae, id est floridae, id quod scribit in secundo Pausanias. Porro et Iunonis Argiuae celebritatem Palaephatus in Incredibilium historia commemorat: quo loco et de duobus fratribus historiam legimus, qui currum subierint, quo mater de more ad sacra perficienda pergeret. Idem scribit Herodotus, et Valerius Maximus, alii. Horum nomina Cleobis et Biton.

Prosymna Iuno, ab urbe Argolica uocata, ut Strabo scribit. Papinius Statius in Thebaide:

Hinc celsae Iunonia templa Prosymnae.

Pausanias in Corinthiacis cum ἥραϊον, id est Iunonis templum describit apud Mycenae, tres ait fuisse nutrices Iunonis, Euboeam, Prosymnam, et Ascraeam: a quibus sunt nomina indita locis proximis, ipsi Heraeae, tresque has Asterionis fluuii filias ait. Porro et templum describit, et in eo hanc Iunonis statuam, Polycleti opus. ea ingens erat: capiti corona fuit imposita, ita afficta, ut Horas et Gratias haberet: in altera manu punici mali pomum, altera sceptrum ferebat. Sceptro cuculus insidebat: quippe Iunonis desiderio Iouem ferunt in hanc auem conuersum, quod in τέλεια planius retulimus. Sane Olen uetustorum hymnorum poeta apud Pausaniam cecinit, ab Horis Iunonem educatam, quae Martem atque Heben liberos suscepit.

Alea Iuno, ἀλέα ἥρα. Menaechmus Sicyonius in Graecis commentariis in Pindari Nemea scribit, quod Adrastus frater Pronactis fugiens iuit Sicyonem, et Polybi aui materni, id est μητροπάτορος regnum adeptus est et Iunonis Aleae nuncupatae templum erexit: quod ita appellatum tradunt, quod a fugiente Adrasto erectum sit. quidam enim φυγεῖν, id est fugere, ἀλάσθαι dicunt.

Hoplosmia Iuno apud Elidem culta fuit, quin etiam una Iupiter Hoplosmius: quorum cum sacerdos esset occisus, nec a quo id factum

sciretur, fuerunt qui assererent, se audiuisset ab ipso capite sacerdotis occisi, fuisse quempiam Cercidam. qua de re in praesentia plura quae afferam non habeo.

Fluonia Iuno appellata fuit, quod fluoribus menstruis adesset: et proinde ei foeminae sacra faciebant. Fluoniam, scribit Festus, mulieres colebant, quod eam sanguinis fluorem in conceptu retinere putabant. [p.173]

Λευκώλενος ἥρα, Iuno cognominata a poeta, quod albas ulnas et albos haberet lacertos. sed non poetae modo hoc epitheto usi sunt, ut etiam Hesiodos in Theogonia, sed et Lucianus in Charidemo, ubi de pulchritudine agit: si modo legitimus sit Luciani liber.

Acraea Iuno uocata, cuius uetustum admodum oraculum (ait in octauo Strabo) fuisse inter Lecheum et Pagus in Isthmo. scribit libro secundo III. Decadis T. Liuius: Promontorium est aduersus Sicyonem Iunonis, quam uocant Acream, in altum excurrans, etc. Acreae Iunonis et Pausanias in secundo meminit, et Euripides quoque in fabula Medea eam inducit filios caesos ad aedem Iunonis Acreae deferre, ne quis eos uiolaret. Tertullianus in libro ad uxorem: Acreae, inquit, Iunoni apud Aegium oppidum uirgo sortitur. Legimus etiam Acream Fortunam, id et apud Plinium notat Hermolaus Barbarus.

Bunaea Iuno, teste Pausania in Corinthiacis nominata fuit a Buneo filio Mercurii, qui ei deae Corinthi fanum construxit.

Pharygaea Iuno cognominata, ut Strabo et Stephanus ostendunt, ab urbe Pharygis, quae fuit in Locride: quae prius, si Straboni stamus, Scarphe dicebatur: si Stephano, hanc Homerus Tarphen uocauit. Iunonis uero Pharygaeae fanum a Pharygis constructum, in Argiua terra. nam et Argiuorum colonia dicitur.

Dirphya Iuno, denominata (ut Stephanus scribit) a Dirphy monte in Euboea, ut Euphorion meminit: a quo gentile nomen Dirphyus.

Parthenos, id est uirgo Iuno nuncupata fuit, ut in Telea, id est connubiali et perfecta Iunone exposuimus. Sed quia tunc non succurrebat, etiam cognominatam *παρθενίαν*, id est Virginalem, a Pindaro in hymnis Olympiis ad Agesiam Syracusanum, uel Stymphalium Olympionicam, in hoc loco retuli: tametsi expositores potius a Parthenio monte Arcadiae Iunonem Partheniam declinent. quamuis et

Parthenie Samos insula appellata est, ut in Samia Iunone dictum est.

Ἰπνοῦντις, ἢ ἰπνουσία ἥρα, id est Ipnuntis uel Ipnusia Iuno, similiter a Sami regiuncula denominata est, ut Stephanus prodit. In ea quippe regiuncula templum fuit Iunonis celebre.

Κανδρηγή ἥρα, Candrena Iuno, nomen sumpsit (ut Stephanus scribit) a Candara urbe Paphlagoniae.

Cithaeronia Iuno, celebri memoria apud Plutarchum legitur in vita Aristidae, nec semel: de qua in Ioue Cithaeronio aegimus, et historiam ex Pausania recitauimus. quam cum aliqua ex parte aliter Eusebius in tertio Praeparationis euangelicae recitat, hic referre non grauabor. Dicitur, inquit, Iunone irata, dissidenteque ab Ioue, moestus ipse [p.174] ea de causa nimium fuisse. quem Alalcomenes indigena docuit, ut alteram ducere simularet. ita consilio eius, ex quercu simulachro mulieris confecto, quod Daedalon appellarunt, nuptias praeparare fingebant. Nymphae igitur Cithaeronides et uniuersa Boeotia confluebat. quibus rebus Iunonem commotam a Cithaerone descendisse et Plataensium multitudine mulierum sequente, ad Iouem peruenisse, simulationeque patefacta summa cum laetitia reconciliatam fuisse. Honorem autem simulachro tantum fecisse, ut Daedala nomine ipsius diem festum instituerit: quod tamen ex zelotypia, quamuis omni anima expers esset, cremauit. Haec quidem fabula, quam (ut dixi) Pausanias diuerse recitat: non enim dicit Alalcomenem simulare nuptias Iouem docuisse, sed Cithaeronem regem: qui etiam a monte et Ioui et Iunoni nomen dedit. Hoc praeterea addit Eusebius ex Plutarchi sententia, quod et allegoriam affert. ait enim: huius fabulae talis ratio est. Iunonis ac Iouis bella et dissidia nihil aliud quam elementorum intemperiem significant, quae nisi certis proportionibus contemperentur, natura rerum soluta magnam perniciem afferunt. Si ergo Iupiter, id est calida uirtus ac ignea nimium excesserit, siccitate omnia pereunt: sin uero Iuno, humida scilicet et uentosa natura, Iouem aspernata superauerit, magna uis pluuiae delata diluio cuncta uastabit, quod illis temporibus factum Boeotiam maxime regionem proluit, quae multitudine aquarum tecta fuisse dicitur. quia quam primum tempestate transacta terrae apparuerunt, deorum reconciliatio facta fingitur. prima uero arborum omnium quercus

effloruit, quae non modo piis hominibus, (ut Hesiodus ait) uerum etiam diluuii reliquiis opitulata est, cum glandes ramalia ferant, et apes cum tegat truncus. Hactenus uel Plutarchus uel Eusebius.

Ammonia Iuno, id est arenaria, culta in Graecia ab Eleis, de qua Pausanias.

Βοώπις ἦρα, cognominata in primis ab Eupoli, quod pulchros et magnos haberet oculos. Hesychius, aliique. aliqui et Mineruae attribuunt.

Tetthlae Iunonis templum apud Plataeenses.

Europa, id est εὐροπία etiam Iuno cognominata: Hesychius.

Telchinea Iuno, a Telchinis dicta. nam ut pluribus a Diodoro traditur, Telchines inter caetera quae multa reperere, etiam deorum statuas fecerunt, quae et ab illis nonnullae nuncupatae sunt: ut a Camireis Iuno Telchinea, et Telchinus Apollo a Lydis. Caetera, ubi de ipsis agemus, tractabimus.

Cypra Iuno nuncupata. Catellum scribit Strabo in V., Picensi emporium [p.175] fuisse, pone quod templum fuit Cyprae Iunonis, a Tyrrhenis conditum et consecratum: illi quippe Iunonem Cypram nuncupabant: hinc apud Silium Italicum in VIII. quidam ita legunt:

Et quis littoreae fumant altaria Cyprae.
propter scilicet sacrificia Iunonis Cyprae: etsi alii Cuprae libentius per u pronunciant, quod antiqui in usu habebant.

Gabinam praeterea Iunonem uocat poeta libro Aeneidos VII., quod summo cultu a Gabinis coleretur. Qui, inquit, arua Gabinae Iunonis, gelidumque Anienem, et roscida riuus Hernica saxa colunt.

Apud Gabios igitur colebatur religiosissime Iuno, quod etiam ibidem Seruius notat: et Silius libro XII., cum ait:

Nec amoena retentant
Algida, nec iuxta Iunonis tecta Gabinae.

Ρήσκυνθις ἦρα, Rhescynthis Iuno cognominata est, a monte Thraciae. Nicander in Theriacis, ἐκάς ῥησκυνθίδος ἦρης: id est, procul a Rhescynthide Iunone. Montem esse Thraciae aiunt, et ipsius deae templum, unde dea Rhescynthis est appellata. quo eodem loco Cytimus Apollo colebatur.

Anthiae Iunonis mentio fit a Pausania in Corinthiacis, quae Florida latine dici potest, cuius templum celebrat, ante quod earum mulierum sepulchrum fuit, quae cum Dionysio aduersus Argiuos depugnarunt.

HYMENAEVVS. THALASSVS.

Quoniam, ut a principio huius Syntagmatis docui, Iunonem non modo Graeci, sed et Latini nuptiis praeesse putarunt: ideo congruum esse existimaui, Hymenaeum et Thalassum, et ipsos deos nuptiales, tibi post Iunonem ascribere, ut disposite atque ordinate procedamus. Hymenaeus igitur, qui et Hymen dictus est, nuptiarum deus a Graecis habitus est, ut a Romanis Thalassus, quibus tamen nominibus et nostri usi sunt. Hymenaei uero numero multitudinis, pro nuptiis ipsis, tam a nostris quam a Graecis dicuntur, quod notissimum est. at Hymenaea eodem plurium numero, sed neutro genere, sacra nuptialia dicta sunt, ut Suidas notat: unde illud est Ouidii: Pars Hymenaea canunt. et Martiani in Musica:

Instaurare iubet tunc Hymenaea Venus.

Quare eorum manifestum errorem nosse potes, qui Hymenaea accusatiuum singularem et interpretati sunt, et suis etiam uersibus usurparunt. Pingebatur Hymenaeus, ut ex Catullo facile colligimus, coronatus floribus et [p.176] amaraco, dextera facem tenens, sinistra flammeum, (lutei uelaminis id genus) in pedibus croceos soccos habens. Seneca uero in Medea sic effinxit his uersibus Asclepiadeis:

Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio
Praecingens roseo tempora uinculo.
Claudianus uero in quodam Epithalamio ita de Hymenaeo canit:

Hunc musa genitum legit Cytheraea,
ducemque

Praefecit thalamis: nullum iunxisse cubile
Hoc sine, nec primas fas est attollere taedas.

Et post illum idem poeta describit:
Dulce micant oculi, niueas infecerat igni
Solque Pudorque genas. dubiam lanuginis
umbram

Caesaries intonsa tegit, etc.

Dictus autem est Hymenaeus, uel Hymen, ἀπὸ τοῦ ὑμένοϛ, id est a membrana, quae et Eugion dicitur, quae cum sit claustrum uirginitatis, in nuptiis rumpitur. Alii dictum putant ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ ναίειν, hoc est a simul habitando, quia uir et uxor cohabitant. Alii Hymenaeum iuuenem fuisse uolunt, qui nuptiarum die ruina oppressus interierit. inde ad expiationem institutum, ut eius nomen in nuptiis frequentaretur. Sunt quibus magis placet, ut ab hac historia quam Lactantius

grammaticus libro Thebaidos tertio commemorat, deducta res uideatur. Hymenaeus, inquit, puer Atheniensis fuit. is cum annos puerilis aetatis excederet, neque adhuc uirum posset implere, ea pulchritudine praeditus fuisse dicitur, ut foeminam mentiretur. Hunc cum una ex ciuibus suis uirgo nobilis adamasset, ipse mediocribus ortus parentibus, quia nuptias desperabat, quod poterat tamen, puellam extrema amoris linea diligens, animum solo satiabat aspectu. cumque nobiles foeminae cum uirginibus sacra Cereris Eleusinae celebrarent, subito piratarum aduentu raptae sunt: inter quas etiam Hymenaeus, qui illo et amatam fuerat subsecutus, et ipse puella creditus. Cum igitur per longinqua maria praedam piratae uexissent, ad quandam regionem tandem delati perueniunt, ibique somno oppressi ab insequentibus sunt interempti: Hymenaeus relictis ibi uirginibus reuersus Athenas, pactus est a ciuibus dilectae nuptias, si eis filias suas restituisset. quas ubi pro uoto restituit, exoptatam accepit uxorem. quod coniugium quia felix fuerat, placuit Atheniensibus, nomen Hymenaei nuptiis miscere. Haec quidem Lactantius, seu Lutatius grammaticus. Donatus uero in Adelpis fabula Terentii, et Seruius in [p.177] primo Aeneidos commentario nonnihil ab hac historia euariant. ipsum enim Hymenaeum tradunt puellas liberasse, cum piratas somno fatigatos interfecisset. Hymenaeum Catullus noster Vraniae filium dicit. Alii, ut in Musis retulimus, Clius tradidere. Asclepiades uero, ex Calliope et Apolline tres filios susceptos prodidit, Ialem, Orpheum, et Hymenaeum. Hinc Claudianus et Martianus, Musa genitum cecinerunt. Hoc Martiani carmen est:
Tu quem psallentem thalamis, quem matre Camoena

Progenitum perhibent copula sacra deum, et caetera.

Sunt qui non Apollinis, sed Magnetis filium putent, ipsumque a Thamyra amatum, ut in secundo de Poetarum historia scripsimus. Seneca in Medae tragoedia, Bacchi filium Hymenaeum, alii Bacchi et Veneris prodiderunt.

Thalassum, et Thalassium, et Thalassionem latine recte dicimus, deum nuptiarum. Martialis:

Nec tua defuerint uerba Thalasse tibi.

Idem:

Quid, si me iubeas Thalassionem.

Catullus:

Lubet iam seruire Thalassio.

Festus ex Varrone, hanc dictionem sine aspiratione in prima syllaba enunciare uidetur. Haec Festi uerba: Thalassionem in nuptiis, Varro ait, signum esse lanificii. Talassionem enim uocabant quasillum, qui alio modo appellatur calathus, uas utique lanificiis aptum. Hanc eandem sententiam et Plutarchus affert: quin et hodie Graeci *ταλασσιουργίαν* lanificium uocant, et *ταλασσίαν*. Scribit Titus Liuius, Romae in raptu Sabinarum, uirginem unam longe ante alias specie et pulchritudine insignem, a globo Talassii cuiusdam raptam fuisse, multisque sciscitantibus cuinam eam ducerent, identidem, ne quis eam uiolaret, Talassio ferri clamitatum: propter quod nuptialem hanc uocem factam. Plutarchus et alii non absimilem historiam afferunt. Seruius in primo Aeneidos: Apud Romanos, inquit, Talassio inuocatur. cum enim in raptu Sabinarum plebeius quidam raptam pulcherrimam duceret, ne ei auferetur ab aliis, Talassionis eam ducis esse simulauit, cuius nomine fuit puellae tuta uirginitas. plura si cupis, Plutarchum lege in Romuli uita. Sane et in connubiis Romani ex ritu quinque deos inuocabant: *τέλειον* scilicet Iouem, hoc est adultum; *τέλειαν* Iunonem, id est Adultam: Venerem: *πειθῶ*, id est Suadelam: et Dianam, ut Plutarchus docet. Hos deos intelligere uidetur Lucanus in secundo, cum Martia Catoni loquitur, post Hortensii obitum ad ipsum priorem uirum rediens. ait enim:

Foedera sola tamen, uanaque carentia pompa Iura placent, sacrisque deos admittere testes. [p.178]

Et quoniam hi dei quinque fuerant, ideo etiam quinque tantum caeteros, nec plures nec pauciores in nuptiis accendi mos fuit, ut in causis Romanis Plutarchus testatur. Hos deos D. Augustinus libro tertio de Ciuitate Dei Nuptiales uocauit, uel ut eius alia habent exemplaria, Coniugales: Deis, inquit, coniugalibus quid opus erat commendare nubentes, ut bene coniugarentur?

SYNTAGMATIS TERTII FINIS.